



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae**

**Diertins, Joseph**

**Solisbaci, 1708**

Med. 21. Gen. 1. De filio prodigo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](#)

## MEDITATIO XXI.

G, I.

## De Filio Prodigio.

**CONGRUA.** Quantopere multi exules anhela-  
verint ad Patriam, & ad paternam domum.

**PRÆL. I.** Aspicere se, tamquam exulem in hac  
valle lacrymarum.

**PRÆL. II.** Petere a Deo spiritum compunctionis,  
& pœnitentia veræ,

**PUNCTUM I.** Status peccati. **MEM.** Peregrè profe-  
ctus est in Regionem Longinquam, & ibi dissi-  
pavit bona sua vivendo luxuriosè, missus est, ut  
pasteret porcos, &c. **Luc. 15.**

**INTEL.** Longinqua Regio est, quando procul  
deviamus à fine: ibi tunc dicitur vita bestiarum.  
*Sicut canis reversus ad suum vomitum, & sus lo-*  
*tat in volvabro luti.* **2. Pet. 2.**

**VOL.** Deploremus statum hunc: & dicamus  
nobis ipsis: *Quia tu es miser, & miserabilis, &*  
*cæcus, & nudus.* **Apoc. 3.** Agnoscamus culpam  
nostram, quâ eò peryenimus.

**PUNCTUM II.** Status pœnitentia. **MEM.** In se au-  
tem reversus dixit: quanti mercenarii in do-  
mo Patris mei abundant panibus? ego autem hic  
fame pereo: *Surgam, & ibo ad Patrem meum,*  
*&c. & surgens venit ad Patrem suum...*, dixit-

D 4

que

*que ei filius: Pater, peccavi in Cœlum, & coram te, Jam non sum dignus vocari filius tuus.* Luc. 15.

INTEL. Primus pœnitentiæ gradus est in se reverti, & nosse suam infelicitatem. 2. Surgere, & ire ad Patrem. 3. Humilis confessio cum contritione. REFL. Nos quoque in nos ipsos revertamur: videamus an surrexerimus. &c. Nam beatus vir, qui in Cathedra pestilentia non sedit. Ps. 1.

VOL. Nos cum Filio prodigo, contrito corde dicamus: *Surgam & ibo ad Patrem, Confitebor adversum me in justitiam meam Domino.* Psal. 31. *Pater, peccavi, &c.*

### PUNCTUM III. Status reconciliationis. MEM.

*Cum autem adhuc longè esset, vidi illum Pater ipius, & misericordiæ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.... dixit autem Pater ad servos suos: citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manus ejus, & calceamenta in pedes ejus .... adducite vitulum saginatum... & cœperunt epulari.* Luc. 15. cum Symphoniam &c.

INTEL. Singula perpendamus, amplexum, osculum, vestitum, epulas, cantus. &c. REFL. Consideremus quanta cœcitas sit, dilatio pœnitentiæ, & reditus ad Patrem tam misericordem.

VOL. Effundamus nos in actum charitatis, & perfectæ contritionis apud talem Patrem.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, qui brachia habet extensa ad amplexum, & totus spirat misericordiam postulando veram contritionem.  
RECOLL.

MEDI-